

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 10

Carolus gratia dei rex Francorum et Langobardorum. Quicquid enim locis venerabilibus ob amorem domini et oportunitate servorum dei benivola deliberatione concaedimus, hoc nobis ad aeternam beatitudinem vel remedium animae nostrae pertinere confidimus. Quapropter notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini, qualiter donamus ad monasterium Herolfesfelt, ubi Lullus episcopus abbas preesse videtur, quod est in honore beatorum apostolorum Symonis atque Tathei super fluvium Fuldam in vasta Buchonia constructum, hoc est illam decimam de terra et pratis ex villa nostra, cuius vocabulum est Cimberio, in pago Thuringiae, quantumcumque ad praedictam villam pertinet, sicut diximus illam decimam de terra et pratis sive aquis ad iam dictum locum tradimus; similiter et in alia villa, cuius vocabulum est Gothaha, quantumcumque ad praedictam villam pertinet, sicut diximus de illa decima de terra et silva et pratis; similiter et in tercia villa, cuius vocabulum est Hasalaha, illam decimam de terra et silva et pratis sive aquis. Propterea hanc praeceptionem auctoritatis nostrae conscribi iussirnus, ut ab hac die tam memoratus Lullus episcopus quamque sui successores, qui fuerint rectores eiusdem sancti loci, ipsas decimas de terra et silvis pratis vel aquis de suprascriptis curtibus ad opus iam dictae aeclesiae habeant, teneant atque possideant et quicquid exinde ad profectum eiusdem sancti loci facere elegerint, liberum potiantur arbitrium; et nullus prorsus de fidelibus nostris aut de iudiciaria potestate vel quaecumque persona praedictum episcopum inquietare aut contra rationis ordinem iam dicto loco calumniam generare aliquando praesumat, sed hoc nostrae auctoritatis atque confirmationis donum iure valeant possidere, quatenus melius delectet ipsos servos dei, qui ibi ei deservire videntur, pro nostra et filiorum nostrorum procerumque regni salute domini misericordiam attentius exorare. Et ut haec auctoritas firmior sit, manus nostrae subscriptionibus subtus eam decrevimus corroborare vel de anulo nostro iussimus sigillar. Wigbalt advicem Higheri recognovi. Data VIII kal. nov. in VIII et secundo anno regni nostri; actum Duria palatio publico; in dei nomine feliciter amen.